

Sammelband G.

2
3
4
5
6
7
8
9
10
11

12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22



- | Nr | Auctores | |
|-----|----------------|---|
| 1 | Gloedner | De actis in mortis articulo. |
| 2 | Melafius | ad tit. C. qui testamenta fac. perfund. |
| 3 | Vaeterbaeh | De testamento destituto |
| 4. | Kraus | - iuoliter mortuis. |
| 5 | Wildvogel | - testamento holographo reciproco. |
| 6. | Harprecht | - testam. rat. voluntatis imperfecto. |
| 7 | Strogk | - execrationibus testatorum |
| 8 | Schweeler | - agnitione et approbat. ult. volunt. |
| 9 | Fuchs | - impugnatione testamenti fraterni. |
| 10 | Cocceji | - obligat. heredis ex delict. defuncti |
| 11. | Siemer | Utrum quod incapaci relictum est pertineat
ad Fiscum. |
| 12 | Wolftram | De praecipuo liberorum. |
| 13 | Pundling | - transactione testamenti sub r. inspectis. |
| 14 | Kniebs | - revocatione codicillorum. |
| 15 | Graeschenitz | - amortizatione bonorum. |
| 16 | Zepper | - codicillis et claus. codicillari. |
| 17 | Harprecht | - tacito pacto fideicommissi remisorio
ex divis. bonorum presunto. |
| 18 | Schwoeder | - alienat. bonor. fideic. obnoxiorum |
| 19 | Branch | - precepto de non alienando extra famil. |
| 20 | Vitrianius | - alienat. bonor. hereditariorum. |
| 21 | Schwendendorff | - manna mortuae. |
| 22 | Branch | - personis incertis. |

Nr	Præfides	
23.	Bocchelmam	De jure maternorum
24	Barili	- legato conditionali.
25	Väuterbach	- magis dilecto.
26	Beemama	- optione minoris heredis.
27.	o Jena	- legitima liberorum.
28	Koth	- jure præcipui.
29	Schrag	- vicefima hereditatum.
30. 31.	Harprecht	- divisione bonor. a parente vivo facta
32.	Clafenuis	- collatione bonorum.
33.	Linch	- exheredit. bona mente facta.
34	Schuchmam	- transmissione
35-37.	Postelikes	- Successionibus ab intestato
38.	Beemam	- collat. jur. Suecici et R. in nat. success. ab J.

J.

XX

DISPUTATIO JURIDICA

*Ad t. ff. C. & l. qui testamenta facere
possunt & de testamentis ordi-
nandis*

Quam

D. O. M. A.

Consentiente & approbante Nobilissi-
mo & spectatissimo Jctorum Collegio
in inclyta & florentissima Academia Salana

*Nobilissimis, praestantissimis, politissimis Dominis ad
hoc exercitium invitatis.*

PRÆSIDE ET MODERATORE

Clarissimo Viro

D. N. VALENTINO MELASIO

Brandenburgensi Marchico J. U. C.


Ad discutiendum offert

FRIDERICUS à FLOTO, EQ.

Megapolitanus.

Loco & horis deputatis.

JENÆ, TYPIS CATHARINÆ Rauchmausii / 1616.



*Reverendissimis, Nobilitate, Magnifi-
centia, Sapientia, Prudentia, Auctoritate
omniq; virtutum decoro inclytis
Dominis*

D N. LUDOVICO à LOCHOU
supremæ Cathedræ in Archiepiscopatu
Magdeburgensi Decano pientissimo, jam
diu multumq; optimè merito

N E C N O N

D N. CHRISTOPHORO ab
HUNICKEN

E T

D N. CHRISTOPHORO à
GÖREN in eadem Cathedra suprema
Canonicis vigilantissimis

*Dominis exsecutoribus testamenti Ma-
terteræ suæ magnæ beatæ recordationis spectatissi-
mis, fidelissimis, dignissimis, Dominis Patronis suis
per universam vitam suam summè suspi-
ciendis*

Hoc exercitium Juridicum Academicum
in grati animi Symbolum dedicat & confe-
crat, iisq; hoc ipso se totum tradit & com-
mendat

*Fridericus à Floto
Respondens.*



THESIS PRIMA.



Mnis quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio debet à definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur tradit Cicero noster i. officior. Itaque & nos de testamentis disputaturi, ab ipsa definitione tum rei tum nominis ritè exordimur, repetentes ex ore Modestini definitionem testamenti realem hanc: quòd testamentum sit voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit *a)* definitionem nominis seu notationem vocabuli testamenti ipse Imp. Justinianus adstruit, quòd puta testamentum ex eo appellatum sit, quod sit testatio mentis *b)* vocabulum mentis hoc loco significat ultimæ voluntatis intentionem, ut ita adjectum sit tum explicandæ rei tum differentia causa; siquidem sic differt ab aliis testationibus, quæ ex diversis causis oriuntur. *c)*

a) l. 1. ff. qui testament. fac. poss. b) pr. 1. de testament. ordinand. c) Wesenbec. in par. ff. d. t. n. 2.

II.

Definitioni appositè attextitur distributio: Testamentum igitur in genere species habet duas: perfectum, sive testamentum in specie ita dictum: & imperfectum sive Codicillum *a)* Testamentum perfectum est vel paganum vel militare *b)* utrumq; in scriptura vel extra scripturam sive nuncupativum *c)* Item testamentum aliud est solenne aliud minus solenne, utpote testamentum inter liberos, militis, ad pias causas, rustici, tempore pestis conditum. *d)*

a) Nam codicilli veniunt etiam generali appellatione testamenti ut post gl. & Dd. notat Menoch. de presumpt. p. 2. lib. 4. presumpt. 3. n. 6. 7. 8. & hoc docet Jason. in l. non codicillum. 14. n. 2. c. de testament. & constat ex rubr. & pr. 1. de testamentis ordinandis: sic qui tantum

reliquit fideicommissum etiam testator dicitur in l. Pamphilus. 39. §. 1. ff. de legat. 1. specialiter tamen à Codicillo distat testamentum in d. l. non codicillum. 14. c. de testament. b) per tt. tt. ff. C. & I. de testam. milit. c) l. hac consultissima. 21. l. in testamentis. 26. l. jubemus. 29. C. qui testam. fac. pos. §. 1. de test. ordin. d) d. l. hac consultissima. 21. §. ex imperfecto. C. d. t.

III.

Cur testamenti factio dicitur à Papiniano nostro in l. 3. ff. qui testament. facer. poss. publici, non privati juris esse? Certè caussaliter, non effectivè, multo minus subjectivè; siquidem jus testamenti faciendi tribuitur cuique Jure publico & legibus, non alicujus voluntate privati. a)

a) Exemplum hujus declarativum est, quòd pater filio suo testamentum faciendi jus tribuere non possit l. qui in potestate 6. ff. d. t. Item quia nec patronus liberto suo testamenti factionem præbere potest l. 47. §. 2. ff. de bon. libert. Cujac. ad l. 3. ibiq; Gothofred. ff. d. t.

IV.

Annè testamenti factio est Juris gentium, an verò Juris tantummodo civilis? posterius affirmamus. a)

a) I. Quia hereditas est nomen juris civilis l. hereditatis appellatio. 119. ff. de V. S. Atqui etiam per heredis Institutionem testamentariam existit hereditas puta testamentaria, ut effectum formale. Ergò & ipsa heredis institutio testamentaria, & sic testamentum ipsum, est juris tantum civilis. Nam heredis institutio est forma testamenti propria & interna; qualis autem caussa formalis, tale & effectum formatum. II. Quia ut hereditas est res per universitatem existens civilis, sic & heres non est nisi universalis civilis, adeoq; nullus particularis d. l. 119. §. incorporales. 2. I. de reb. corporal. & incorporal. Atqui testamenti factio ex se constituit heredem non nisi universalem & civilem. Ergò & ipsa juris civilis est. III. Quia qualibet res ab objecto suo dependet; Atqui institutio heredis & inde datio hereditatis actu constituit esse objecti immediati testamenti, ratione cujus modum essendi realem habet. Ergo ab institutione heredis testamenti factio est id quod est. Rursus per institutionem heredis testamentum est, uti modò probatum, subsumo: heredis institutio est juris civilis. Ergò & ipsum testamentum juris civilis est. IV. Si heredis institutio esset tantum juris civilis, ut est per d. l. 119. per. §. 2. I. de reb. corp. & incorp. & esset forma testamenti, uti esse

esse nemo negat, nisi principia juris negaverit; l. fin. ff. de jur. Codicill. l. 1. in fin. ff. de vulgar. subst. l. 3. ff. de his quæ in testament. debent: §. in primis ff. de fideicom. hered. testamentum autem esset juris gentium, tunc res esset ante ortum & esse suum; scilicet formâ ipsâ jure gentium, cum tamen sit demum jure civili. Hoc autem contradictorium & absurdum. E. & illud; adde si per heredis institutionem sit forma testamenti jure gentium, res orta & quæ est, nondum erit, sed adhuc oriunda; quia heredis institutio, heres, hereditas post jus gentium demum jure civili est & esse accipit. At qui rem aliquam esse ante ortum suum id quod est, per absurdum est & foetidum absurdum. Ergo æquè absurdum est, testamentum jure gentium esse. V. Si jure gentium testamentum sit, utique exinde heres est; Si heres est jure gentium, aut particularis aut universalis est; Non autem universalis, quia jure gentium heres esset tantum in aliquo, ut in omni sit completè per jus civile; itemq; si universalis esset jure gentium, nihil differret heres & inde testamentum, quoad jus gentium & civile; quod absurdum: Non etiam particularis, quia particularem heredem sanus dixerit nullus propter l. 1. §. 4. ff. de vulgar. & pupill. substit. l. 74. eod. & per ea, quæ disputat Donell. 6. Comment. 18. Ergo jure gentium heres est nullus; Ergo nullum etiam testamentum. VI. Si testamentum sit juris gentium aut erit materialiter aut formaliter; Non formaliter, quia toto jureconsultorum orbe jus civile informat, & informando etiam antiqua sibi adpropriat ut recentissima; Non materialiter, quia testamentum est merum formale, in jure consistit, actibus & factis hominum jure publico præscriptum & ex legibus positivum per thes. 3. præced. Ergo jure gentium, qui testamentum dicit, non ens dicit ens, effingit Hippocentaurum vel Tragelaphon. VII. Nemo unquam ex Historicis antiquioribus fide dignis probabit testamentis gentes omnes usas esse, testamentum omni humano generi commune fuisse, vel apud omnes populos custoditum esse, quæ Imp. nostri sunt definitiones juris gentium in genere §. 2. Inst. de j. n. g. c. si forsan talis quidam modus de rebus suis disponendi fuit apud aliquas gentes in usu, illud tantum analogon quid testamenti, nequaquam ipsum testamentum fuit; Antiqui de rebus suis pro libitu & voluntariè disposuerunt, nullis juris testamenti condendi limitibus circumscripti. Et vel alias in ipso conflictu disputationis suppeditabimus rationes, ut ita hic nihil repetamus earum, quas aliàs idem Dd. asserentes adstruunt cumalatissimè.

V.

Scire est rem per causas cognoscere; perscrutaturi igitur Jus testamentorum ejus solidam cognitionem ex causarum consideratione hauriemus. Itaque quoad causam efficientem quaeritur: An filiusfamilias, ut qui adhuc sub potestate parentis est possit testamentum condere, si pater ei hoc concesserit? Negamus sive ei hoc concesserit sive minus. a)

a) *l. qui in potestate 6. l. 19. junctal. 3. ff. l. pen. C. qui testament. fac. poss. pr. I. quib. non est permiss. fac. testament. l. 2. ff. de legat. 1. & quia Jus civile certis personis testamenti factionem ademit l. 4. ff. d. tit. inter quas primaria est filiusfamilias; & quia testamenti factio non privati, sed publici juris est l. 3. ff. d. t. utiq; Jus publicum privatorum patris nequit immutari l. Jus publicum. 38. ff. de pact. Viv. Com. opin. verb. filiusfamilias.*

VI.

Si filiusfamilias peculium adventicium habet, in quo pater ne quidem usumfructum habet, adeoque ejus plenum dominium & proprietas & ususfructus sit ipsius filiusfamilias, an de hoc filiusf. potest testari? Nequaquam. a)

a) *per l. nemo. pen. C. qui testament. fac. poss. pr. t. Inst. quib. non est permiss. fac. testament. & ratio in peculio Castrensi vel quasi, quae est favor militiae & literarum, hic cessat; non igitur idem Jus. Br. & DD. c. in d. l. nemo. Clar. in §. testamentum. q. 18.*

VII.

Nonne filiusf. potest de peculio adventicio, testari ad pias causas? Distingvimus. a)

a) *Si namq; pater ei hoc permiserit ob favorem piarum causarum filiusf. de illo poterit testari, quia testamentum ad pias causas juris civilis dispositioni non est subjectum c. relatum. X. de sepultur. c. licet. §. fin. X. eod. in 6. & pietatis intuitu prerogativa est in illis, quae ad pias causas sunt relicta l. sancimus. in fin. pr. C. de SS. Eccles. at filiusf. absq; patris consensu, excepto Castrensi vel quasi Castrensi peculio, aliquid judicare pro anima, id est, ad pias causas relinquere vel testari non potest. c. un. §. donare. qualit. olim feud. poter. alienar. Ergo à contrario sensu si pater consenserit & permiserit & res sit allodialis, & insuper militet ratio pietatis, & favor piae causae, utique poterit. Et hanc sententiam dicimus indistinctè procedere sive pater in peculio adventicio filii*
usum-

usumfructum habeat sive minus *Jul. Clar. in §. testamentum. q. 5. n. 8. vers. quæ quidem opinio.*

IIX.

Quod filiusf. miles de peculio suo Castrensi vel quasi Castrensi possit testamentum facere citra consensum patris, dubium est nullum; Sed quæritur, annè de iisdem peculiiis citra patris consensum adeò filiusf. miles possit testari, ut licitè & parentes suos & liberos suos possit præterire? Neutiquam. a)

a) Nam si filiusf. in testamento suo de peculio Castrensi vel quasi condito parentes suos vel liberos præterierit, testamentum illud querela inofficiosi testamenti subjacebit, ut certi juris est per Nov. 115. cap. 4. in pr. & auth. non licet. C. de liber. præterit: Et quia olim testamenta filiorum de peculio Castrensi vel quasi etiam extra expeditionem facta, licet in iis suos parentes præteriissent, querela inofficiosi non subjacebant l. testamentum militis. 24. C. de testament. milit. non statuendum inde quod hoc tantum per Nov. 115. c. 4. sit correctum, ut proinde si in acie testentur præteritis parentibus secus sit, scilicet ut illud querela inofficiosi testamenti non subjaceat, adeoq. d. c. 4. Correctio sit restrictiva ut male sentit Hænon. disput. 9. I. Imp. th. 1. Nam d. Nov. 115. c. 4. Correctio est extensiva, & generalissima; Et insuper ratio est: quòd licet solennitas testandi militibus remissa sit, non tamen officia pietatis ideo ipsi prætermittere debeant arg. l. si quando 35. in pr. C. de inoffic. testament. l. pen. C. de restit. milit. l. 2. C. de in jus vocand. l. 3. C. de Castrens. pecul. milit. libr. 12. Heig. ad pr. t. 7. de testam. milit. n. 9. 10. cum ibidem allegatis, ut ut olim ejusmodi militare testamentum querela inofficiosi testamenti non subjacuerit l. si instituta 27. §. 2. ff. de inoffic. testament. l. ult. C. eod. Alex. ab Immola Roman. Jason. Vigl. n. 12. ad pr. t. 1. de testament. milit. Duaren. in Comment. ad t. de testam. milit. qui adhuc pro veteri illo jure pugnant, quasi correctum non sit.

IX.

Nunquid etiam vidua vivente patre suo de rebus suis potest facere testamentum? Negamus. a)

a) l. 1. §. 1. ff. de agnosc. & alend. liber. l. si uxorem C. de condit. insert. l. vidua. 18. C. de nupt. §. sed hæ. 1. I. de SC. Tertyl. & sicut filiof. ita & filiof. non permittitur facere testamentum l. pen. C. qui test. facer. poss. Mich. Grassus in recept. sentent. §. testamentum. q. 23. n. 3. ubi hanc sententiam communiter probat receptam; & facit quod nuptiæ sunt

sunt modus, quo acquiritur non tollitur patria potestas l. patri 2. ff. ad L. Jul. de adult. Schneid. ad §. sed et si n. 4. I. quib. mod. toll. patr. potestas. Quamvis secus sit de Jure Saxon. quo nuptiae sunt modus eximendi à patria potestate Coler. decision. 41. n. 8. & secutis nuptiis mulieri licet per ultimam voluntatem disponere de rebus suis p. 2. Const. Elect. Sax 15.

X.

Si vidua est, cujus defuncto patre mater adhuc est superstes, an illa de rebus suis potest testari? Nos quoad jus usu receptum statuimus quòd non. a)

a) Nam hodie recepti Juris est juxta sacram Scripturam, quod aequè mater ut pater à filiis honoretur, & filii inde sub utriusq; potestate reputentur, immò ut nulla filia absq; consensu matris suae per omnia honestè & legitimè nubat, qui effectus est parentum potestatis evidentissimus, quae hac ratione etiam matri competit; adde etiam si per nuptias filia à parentum & sic etiam matris potestate liberaretur & propterea liberè testari posset; non tamen deberet matrem suam ullo modo praeterire; sed hujus portio eidem assignanda, esset omnium prima attendenda; si enim in militibus debet constare ratio pietatis, multò magis in filiabus erga matres suas.

XI.

Si vidua Curatorem habet an illius consensu debet testari? Negamus etiam Jure Saxonico. a)

a) l. illa. 32. ff. de heredib. Instit. Zobel. differ. 22. n. 18.

XII.

An etiam uxor potest sine mariti consensu testamentum facere? Affirmamus a)

a) Quia nullus tum Jure civili tum Saxonico extat uxori libertate à patria potestate Jus condendi testamentum adimens; & facit ratio, quòd minor sine Curatoris consensu alienare nequeat l. 3. C. de in I. restitutione minor: attamen testamentum (quantumvis & illud modus sit alienandi) facere non prohibetur l. 20. in fin. ff. de liberat. legat. sic mulier licet aliàs sine consensu mariti per contractus nequeat alienare, attamen per testamentum potest.

XIII.

An etiam obses testamentum facere potest? regulariter negamus. a)

a) per l. 11. ff. qu. test. ment. fac. poss. & ejus bona ad fiscum devol-

volvuntur l. 31. ff. de jure fisci. Et quamvis obses in fidei pignus traditus servus propriè nondum sit Bl. in l. 2. de parent. qui filios distraxer. per l. 31. de fur. fisci. Nam obses est, qui publicæ fidei firmandæ causa datus est ab hostibus, ut nisi dantes stent promissis, dedatur obses potestati eorum, quibus traditus est; Attamen servitutis quoddam genus sustinet l. obsides. 11. ff. d. t. ac obses peregrinus est l. 1. C. de hered. Instit. Exceptio tamen hujus est: 1. si Princeps ei expressè permiserit testari d. l. 11. 2. si tacitè per usum togæ, obsidi concessum fuerit testari l. sed 32. ff. de fur. fisc.

XIV.

An etiam deportati possunt testari? Negamus. a)

a) Cui namq; aqua & igni interdictum est, ejus testamentum non valet l. ejus. 8. §. si cui 1. ff. qui testament. fac. poss. Atqui in locum aquæ & ignis interdictionis substituta est deportatio Nov. 22. c. 13. Cujac. libr. 6. obs. 39. Nam per deportationem cives Romani delinquentes veluti putrida membra in exteris insulas deferebantur, & Civium numero ab beneficiis ita privabantur ac si planè morte extincti fuissent.

XV.

An è banniti possunt testari? Negamus. a)

a) Bannitus namq; non est Civis Romanus; sed hostis Imperii Romani qui jure Civili Romanorum indignus est Geil. libr. 2. de pac. publ. cap. 12. Testamenti autem jus est solummodò juris Civilis, ut antea thesi prima disputatum.

XVI.

An damnatus pœnâ capitali testamentum facere potest? Affirmamus, quòd puta testamenta condemnatorum valeant, sive ante sive post condemnationem facta sint. a)

a) arg. auth. sed hodiè C. de donat. inter vir. & uxor. Nov. 22. c. 8. ubi damnatus ad mortem non redigitur in servitutem; neq; bona sua ut olim hodiè amittit auth. bona damnatorum. C. de bon. proscript. Beust. ad l. admonendi. n. 494. §. de injur. quod & Elect. Saxon. p. 3. Const. 6. approbavit.

XVII.

An Monachus potest testamentum facere? Neg. a)

a) Nam monasterium ingredientibus ulterius nulla est testandi licentia c. quia ingredientibus. C. 19. q. 3. auth. ingressi. C. de SS. E. Exceptio hujus est, si liberos habeant, illis possunt legitimam vel ultra, re-

B

tenta

tenta tamen sibi virili portione pro monasterio, testamento relinquere
c. si q. mulier. d. q. 3.

XIIX.

Quid si Monachus ingressurus monasterium protestetur de bonis retinendis, ut deinceps de iis testamento disponat, an tamen testamenti factionem retinebit? Neg. a)

a) Quia jus publicum privatorum pactis mutari nequit l. jus publicum. 38. ff. de pact. Jure autem publico definitum est ingredientem monasterium amittere bona sua d. c. quia. C. 19. q. 3. auth. ingressi. C. de SS. E. Nov. 5. cap. 5. Nov. 16. Deinde Abbas fit pater Monachi c. Monachi. 2. & c. cum 6. X. de stat. monachor: Ergo ei Monachus se arrogandum dedit; arrogatus autem patitur minimam capitis diminutionem, in potestate est arrogatoris, & quia in potestate est nequit testari §. minima. 3. I. de capit. diminut. l. 3. ff. qui test. fac. poss.

XIX.

De pupillo non levis est controversia an ille possit testamentum facere, aut si per ætatem non possit, uti non potest, an cum consensu & auctoritate sui tutoris possit ultimæ suæ voluntatis condere elogium? Negativè concludimus. a)

a) l. 1. §. 1. ff. de hered. Instit. Et licet aliàs cum tutore pupillus contrahere possit, testamentum tamen ita facere nequaquam potest; ut quod non aliena, sed propria testatoris prudentia & providentia fieri debet l. illa. 32. ff. de hered. instit. ubi graviter Jctus: Satis constanter veteres decreverunt, testamentorum jura ipsa per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere.

XX.

Si furiosus eo tempore, quo furore concitatur, testamentum fecerit in modum, quo aliàs à sanæ mentis altero perficeretur, an tale testamentum de Jure subsistet? Negamus. a)

a) Nam casu quodam ita evenit ut tale testamentum fieret, non verò ratione & sano intellectu elaboratum est, qui modus testamentorum jure subsistentium homogeneus est & formalis arg. l. 1. in fin. ff. de minor.

XXI.

Si certò non constat an eo tempore furor adhuc duraverit, quo testamentum ita fecit, ut aliàs vir sapiens & prudens testa-

testaretur, annè Jure hoc testamentum obtinebit? Affirma-
mus cum DD. communiter. a)

a) Quia secundum DD. C. præsumptio militat pro testamento ;
furor autem est accidens ; at accidentia non præsumuntur l. nec Codicil-
los. 5. C. de Codicill. Item ex qualitate actus præsumitur quis sanæ men-
tis fuisse l. si à furioso. 24. ff. de O. & A. facit l. si pars 10. ff. de inoff. testam.

XXII.

An fatuus Jure facit testamentum? Aff. a)

a) Quis in jure fatuus dicatur variè quidem disputant DD. Nos
fatuus dicimus illum qui est grossi simplicis, hebetioris & stupidi inge-
nii, nec tamen omni mente caret, Ein Drummeldasies / ein Mas-
quast / ein Hanßmaul auff / ein Albaner oder Phantasta: per l. re-
gula 9. §. si qui jus. 5. vers. quòd si idè ff. de jur. & fact. ignorant. & talem
fatuus existimamus posse testari, quia nulla lex id ipsi prohibuit.

XXIII.

An $\alpha\upsilon\tau\acute{o}\chi\epsilon\iota\varsigma$ potest testari? Neg. a)

a) Illius enim testamentum irritum fit l. si quis. 6. §. ejus. 7. ff. de
injüst. l. 2. in fin. C. qui testament. facer. poss. Et facit P. H. D. art.
135. ubi ejus, qui sibi ipsi violentas intulerit manus, tunc à fisco rapiun-
tur bona, si reus criminis convictus metu pœnæ mortem sibi intulit; at
verò si vel tædio vitæ, vel melancholiâ vel furore mortem sibi conscivit,
bona sua ad heredes transfert; ac tali casu testamentum quod ante con-
didit jure, irritum non fit.

XXIV.

An prodigus ipso jure prohibetur testari, an verò magi-
stratus interdictione? Posterius aff. a)

a) §. item prodigus. 2. I. quib. non est permiss. facer. testament.
& facit quòd aliàs prodigo non ipso jure; sed magistratus auctoritate bo-
nis interdicitur l. Julianus. 10. l. pen. §. 1. ff. de Curat. furios.

XXV.

Ratione materiæ quæritur annè testamentum unum in
pluribus Codicibus scribi possit; & annè in pluribus Codici-
bus alii atque alii heredes scribi possint? Utrumq; affir. Poste-
rius tamen cum distinctione. a)

a) l. unum. 24. ff. qui test. fac. poss. si in pluribus Codicibus alii atq; alii
heredes scripti sunt, attendendum an simul signati sint, & pro uno te-
stamento & heredes unius testamenti habentur l. 1. §. sed 6. ff. de bonor.

poss. secund. tabb. si alter altero sit recentior, nec eodem tempore uterque confectus, tunc novissimus tantum valebit arg. l. 2. ff. de injust. rupt.

XXVI.

Sed si unius testamenti plura exemplaria eodem tempore confecta respectu quantitatis non conveniunt, quid juris erit hoc casu? minor quantitas obtinebit. a)

a) *l. Sempronius. 47. de legat. 2. ubi C. ait: si in alteris tabulis centum, in alteris quinquaginta aurei legati sunt Titio, tantummodo quinquaginta ipsi debentur; sic enim amplius legatum interpretamur ademptum Cujac. lib. 14. obs. 2.*

XXVII.

Quoad testamenti formam maximè extrinsecam, ipsum testandi actum, quæritur an contractus rectè in testamento celebrentur? Neg. a)

a) *l. heredes. 21. §. fin. ff. qui test. fac. poss. Excipitur tamen casus necessitatis l. 28. C. eod.*

XXVIII.

An testis in testamento annulo tantum, an quovis signo characterem verum & cuiusque proprium habente, potest signare? Posterius affirmamus. a)

a) *Post Accurs. Bart. Immol. Angel. Conan. Donell. per l. ad testium 22. §. 5. ff. qui testament. fac. poss. & facit ratio quod annulus adhibeatur non propterea quia annulus est, id est, in orbem reflexus est; sed quia signum testis in eo insculptum est: & hanc sententiam Novell. Imperii Constitutio confirmavit sub rubrica von Testament. t. von Notarien. vers. Nun die Form. scilicet quod sufficiat daß ein Testament mit gewöhnlichen Siegelen vnnnd Signeten bezeichnet werde. Dauth. ad l. ad testium. 22. n. 21. ff. qui testament. fac. poss.*

XXIX.

Si solennitas aliqua utpote testium subscriptio vel signatio omissa sit, an tale testamentum adhuc valeat. Si modo testamenti nuncupativi requisita adsint maximè valet testamentum. a)

a) *Quam sententiam post Dd. c. probat Clar. in §. testamentum q. 4. n. 2. arg. l. Si miles. ff. de testament. milit: & qui testatur in scriptis non præsumitur renunciare formæ testandi nuncupativæ; & in forma intrinseca conveniunt testamentum scriptum & nuncupativum.*

XXX. Quot

XXX.

Quot testes requirantur in testamento tempore pestis condendo? Distingvimus. a)

a) Aut enim testator ipse peste correptus est, aut domus ipsius infecta, & tunc duo minimum testes sufficiunt, quia tempus pestis comparatur cum tempore belli, tunc enim bellum geritur inter Deum & homines c. ad supplicationem. 9. X. de renunciatione; at in testamento militis duo vel tres testes sufficiunt arg. §. planè. 1. I. arg. l. milites 15. ff. de testament. milit. aut ista lues tam est vehemens & violenta, ut aliquantò frequens & major hominum copia eo in loco haberi non possit, & tunc quinque testes sufficiunt arg. l. fin. C. famil. herciscund. l. hac consultissima. 21. C. de testament. Nov. 18. Nov. 117. l. fin. C. de testament. Hec enim res favore digna est ob condolentiam humanarum miseriarum; aut denique mortantum est de pestifera lue, aut ades aliquot longius à testatore remotas pestis occupavit & adhuc septenarius numerus testium est necessarius, l. casus. 8. C. de testament.

XXXI.

An frater emancipatus & filius emancipatus possunt esse testes in testamento patris? Aff.

Per §. sed neg. 10. I. de testament. ordin. l. 20. §. 2. ff. qui testament. facer. possunt.

XXXII.

Valetne testamentum nuncupativum in quo non sua sponte; sed ad interrogationem alterius testator heredem nuncupat? Aff. modò absit omnis suspicio fraudis & extorsionis. a)

a) l. hac. 8. vers. at cum C. qui testam. fac. poss. Etenim sola suggestio & blanditia non vitiant testamentum l. fin. C. si quis aliq. testar. l. fin. ff. eod.

XXXIII.

Ratione finis & effectus quæritur, cum testator id intendat ut post mortem quem vult habeat heredem & proinde testatoris voluntas libera sit & pro lege habeatur, an voluntate sua possit legibus derogare? Negamus. a)

a) Nam voluntas testatoris cum legis aut juris dispositione pugnare non debet l. nemo. 55. ff. de legat. 1. libera quidem est voluntas testatoris Nov. 22. c. 2. & tamen in quibusdam coangustata l. verbis. 120. ff.

de v. 5. & voluntas testatoris servanda in his, in quibus nulla necessitas
Juris aliter observandi testatori imposita est.

COROLLARIA.

Absurdum esse & contra omnia Philosophiæ & Juris prin-
cipia statuimus assertum eorum, qui propriè loquendo
æquitatem aliam faciunt scriptam aliam non scriptam; nullam
namq; scriptam æquitatem esse Apollinis oraculo verius est.


Rationes quibus hoc solidè adstruimus hæcce apponimus: I. Omne
quod scriptum est constat verbis quæ scribi possunt; Scriptura namque
verba syllabicè per characteres exprimit. Atqui nulla æquitas constat
verbis quæ scribi possunt; quia æquitas tantum in mente & intellectu ac
sensu heret, qui æquabili pensione decernit, quomodo partes disidentes
concilientur Vultej. ad §. 1. n. 3. I. de j. & j. Ergò nulla æquitas est scri-
pta. II. Ens absolutum à relatione cum ente relativo sive ente ad aliud
confundere contradictorium est in universa Philosophia prima, juxta
nobiles Peripateticos; quia hac ratione absolutum erit non absolutum,
& respectivum, & aliud relatum erit absolutum, quæ contradictio in ad-
jecto est. Atqui statuere æquitatem scriptam est ens relativum confun-
dere cum ente absoluto. E. æquitatem esse scriptam contradictoriè non
statuendum. Assumptio probatur: quia quod scriptum est simplex &
absolutum est, scripturâ absolute terminabile. Æquitas autem sem-
per ad aliud relationem habet. Etenim ut in relatione, docente Scali-
gero, tria spectantur: 1. ratio referendi. 2. res subjecta quæ deserunt re-
lationem: 3. termini relationis: sic ratione æquitatis datur ratio refe-
rendi per quam æquitas existit; datur subjecta res ex qua relatio pro-
deat; datur deniq; terminus ad quem porrigitur, ut ita æquitas funda-
ta ad terminum respectiva figuretur. v. g. Libertas servo heredi necessa-
rio ex testamento non adscripta, æquitas svadet ut nihilominus confera-
tur tanquam adscripta §. idemq; juris. 2. I. ex quib. caus. manumit.
non lic. hic ratio referendi fundatur in libertate ut re subjecta, & tradu-
citur ad terminum servum heredem ex testamento necessarium, atq; ita
existit æquitas scilicet ut servus ille etiam liber sit. Hæc autem scribi non
possunt; sed abstractivè mente formantur & considerantur. Ergo absurdum
& contra naturam est asserere æquitatem scriptam. III. Entis citra affe-
ctionem & entis cum affectione identitatem statuere est absurdum &
contradictorium secundum Rameos, Socratis & Platonis antiquæ & di-
vine Philosophiæ restauratores. Atqui dicere æquitatem scriptam est ta-
lem adstruere identitatem. Ergo absurdum est dicere æquitatem scri-
ptam.

ptam. Assumptio constat: quia scriptum quod est citra affectionem est actu eodem; at æquitas est semper affecta ad id, ad quod æquabiliter mensuratur; illa autem mensuratio solo intellectu perficitur, & ut scribatur ἀδίκως ἀδύνατον est. IV. In l. in his 16. ff. de condit. & demonstr. opponuntur sibi scriptum, & bonum æquum seu æquitas, unde argumentum: Si quæ in testamento sunt, expediuntur secundum scripti juris rationem, tanquam aliquid scriptum, ut ipsa sunt; quæ extra testamentum incurunt, expediuntur secundum bonum & æquum tanquam aliquid non scriptum ut ipsa sunt d. l. 16. E. sequetur testamentum esse scriptum, bonam verò & æquum hoc est ipsam æquitatem esse non scriptam. V. Conciliatio duorum vel plurium discrepantium scriptorum inter sese scripta non est; tum quia κατὰ διάνοιαν & secundum ratiocinationem scriptis discrepantibus accommodatur; tum quia si scriberetur esset pars eorum quæ pugnant, nec conciliatio eorum foret; sed ipsa cum iis conciliatione indigeret. Æquitas autem est conciliatio duorum vel plurium discrepantium scriptorum inter sese arg. l. 1. C. de ll. arg. d. l. 16. E. æquitas scripta non est. VI. Omnis voluntas legis ex lege ratione colligitur, non expressè scripta est l. scire leges 17. ff. de ll. Atqui æquitas est voluntas legis l. 19. ff. de ll. E. VII. Si æquitas sit scripta aut erit in jure scripta aut alibi; At neque alibi, quia si esset alibi scripta, æquitas juris non esset, sed heterogeneum quid à jure; Neque in jure: siquidem scripti juris mitigatio in jure scripta non est, quia aliàs uno semper & eodem fieret modo; itemque non ro sed nudo tantum nomine à jure scripto differret. Æquitas autem est scripti juris mitigatio l. nulla. 25. ff. de ll. l. si servum. 91. §. 3. de V. O. l. 1. C. de ll. E. ipsa in jure scripta non est. VIII. Ineptissima est sui ipsius emendatio; si verò concederetur quod esset æquitas scripta, tunc æquitas corrigeret æquitatem; cum non ita scribi possit, ut lex nunquam indigeat interpretatione vel correctione. Hoc autem est contradictorium & absurdum. E. & illud; Lex autem corrigitur per æquitatem, & exinde sumit interpretationem; etenim æquitas nihil aliud est, quam legis scriptæ interpretatio & supplementum. E. est aliquid aliud extra legem scriptam. Et alias rationes ipse conflictus disputationis exposcet.

II. An probanda sit per unicum haustum evacuatio alicujus spaciosi scyphi vino impleti in alterius salutem? Nec theologicè nec ethicè nec physicè; sed quodammodo politicè probare cogimur.

III. An hæc tria sint necessaria Jcti. requisita ut habeat
æneum


æneum caput, plumbeum culum, & auream crumenam? Aff.
saltē quoad ultimum distingvendo inter modum acquirendi.



Ad Nobilissimum & Præstantissimum
DN. FRIDERICUM à FLOTO,
Eq. Megapolitanum, de TESTAMENTIS
disputantem, amicum suum fraterrimum.

ET tu, mi Friderice, in legum te abdita mittis?
Imos scrutaris JUSTITIÆ q̄; sinus?
De Testamentis tua dissertatio, mentis
Testamen mentis testis itemque tuæ est,
Excelsæ mentis dico proavita perennem
Quam virtus & quam propria constituit.
Maçte! tuæ laudis testes nec erunt modò septem
Sed testes aderunt vel quoque mille tibi.

Jo. ab Hæckelshoven Junior Bresla-Sil.



AD DN. FRIDERICUM von
Slotto / Juvenem Nobilissimum & undiquaq̄;
politissimum Commensalem & Philadelphum
svavissimum de Testamentis respondentem.

NÆ felix est is, quem Nobilitatis avorum
Splendor, agrorum & jugera mille beant.
His at, FLOTTIADE flos Nobilitatis avitæ,
FLOTTIADE Themidi pulle adamate sacrae,
His non contentus mage felix esse cupiscis,
Usq; Aganippiadum castra secutus ovans:
Insuper & doctos victrici operare triumphos
Ingenio, & Themidi clara tropæa paras:
TESTAMENTORUM benè dum solemnia volvis,
Et Duce MELASIO jura tuere satis.
O te felicem ter & amplius; alma Dice quem,
Pallas, divitiæ, stemmata avita beant.

Deproperab.

Johannes Cojen Rigâ-Livo.


99 A 6998


ULB Halle 3
002 836 947


V. 17

Rehro







XX

**TATIO
DICA**

*...testamenta facere
...testamentis ordi-
...dis
...am*

M. A.

probante Nobilissi-
Jctorum Collegio
na Academia Salana
*...is, politissimis Dominis ad
...m invitatus.*

MODERATORE
...o Viro

NO MELASIO
Marchico J. U. C.
...dum offert

FLOTO, EQ.
*...tanus.
...deputatis.*

NA Rauchmaulin / 1616.